

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXX. Argumentum. Disputatur casus frequens in Praxi de animalibus datis in societatem alicui rustico sub certa annua pensione, & ad caput salcum; idest ut reddatur eadem æstimatio, ac ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

erat quidam Vir doctissimus, qui penè maiorem partem facultatum suarum fœnore comparaverat. Hic Deo ulciscente in corpore, quod in ære malè quæsserat, lepra percussus est. Cum autem quadam die gravissimè hoc morbo torque-
 12 rat, Beatam Virginem invocans, deliberavit mittere elemosynæ gratia centum aureos ad domum Lauretanam; ut ipsa impetraret ei ab ejus filio ægri corporis munditiem. Dedit ergo crumenam cum centum aureis famulo suo, qui eos ad Sanctissimam Domum pertulit, & reversus invenit Herum, mirabile dictu! à terribili lepra liberatum. Divulgato miraculo, plures amicorum ejus sibi congratulabantur de sanitate recepta. Unus amicissimus fuit, qui ei dixit, rogo te, ut manus tuas mundatas amplius non coinquines fœnoribus; ne lepra, quæ ob fœnora te percussit, iterum revertatur ad te, aut deterius tibi aliquid contingat. Respondit, qui sanus factus erat subridens: Si fœnerari peccatum esset, Beata Virgo mecum fœnus non exercuisset: oportuit enim pro sanitate recuperanda centum aureos me mittere ad illam. Horruit ad tantam blasphemiam amicus, qui objurgavit ingratum, & abiit. Nocte sequenti, cum dormisset avarus, ac blasphemus ille, expegefactus clamare cepit ejulatu magno: Auxiliemini mihi crucior nimis. Morior: subitus renes meos sentio quasi titionem igneum, cujus ardore nimis crucior. Cucurrit Uxor cum famulis, & repperunt eum nova lepra percussum, inquirentes verò quid esset, quo cruciabatur sub renibus? invenerunt ibi crumenam cum centum aureis, quam ad Lauretanam Domum transmiserat, eam cum vidisset Herus fœnerator exclamavit dicens: Veli mihi misero, quia damnatus sum: & paulò post miserabili morte fuit consumptus. En punitionem Usurariæ pravitatis, blasphemix, & ingratitude.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Disputatur casus frequens in Praxi de animalibus datis in societatem alicui rustico sub certa annua pensione, & ad caput salvum; id est, ut reddatur eadem æstimatio, ac pretium, quo empti fuerunt ipsa animalia. Ostenditur talem contractum esse Usurarium, ac traduntur plures regulæ pro cognoscenda injustitia eorum, qui faciunt societates salvo capitali.

SUMMARIUM.

1. Boves emptos, & datos bubulco ad ejus periculum, & cum lucro domini quinam contractus sit?
2. Mutuum censetur erogare pecuniam ad emendos boves.
3. Lucrum cessans facit licitum pactum de utilitate in mutuo.
4. Periculum rei vendita spectat ad emptorem.
5. Pretium solvi potest non solum in pecunia, sed etiam in re æstimata.
6. Lucrum ex re fructifera vendita nondum soluto pretio Venditor capere potest.
7. Societatis contractus censetur dare boves rustico ad lucrum.
8. Asscuratio capitalis in Societate an licita?
9. Fructus in qua summa taxandi pro omni centenario capitalis?

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

10. Boves dare rustico sub certa pensione annua, est locatio, & conductio.
11. Periculum rei locata spectat ad locatorem.
12. Contractus natura cognoscenda ab effectibus, non à nomine.
13. Locare alteri animal pro certa pensione, & eo semper salvo, est Usura.
14. Venditor rei quando ob non solum pretium possit sibi reservare fructus ejusdem rei?
15. Agrorum venditorum non soluto pretio potest Venditor sibi reservare fructus; secus in rebus mobilibus, quæ usu consumuntur.
16. Fructus rei vendita non soluto pretio, si venditor sibi reservat, debet ad eum pertinere etiam periculum ejusdem rei.
17. Socius, qui vult utile, non autem periculum, injustè agit.
18. Animalia æstimata dare in societatem cum lucro, & quod eadem æstimatio restituatur, est Usura.
19. Sixti V. Constitutio contra Usurarias Societates ob caput salvum.
20. Asscuratio, & venditio lucri incerti inter socios illicita.

Bubulcus rogat Herum, ut sibi mutuaret pecuniam ad emendos boves pro colendis agris. Herus in prato Vallis, bubulco stipulante, jugæ boum emit scutis nonaginta, quos concedit eidem Bubulco per triennium his tribus pactis. 1. Ut singulis annis sibi modium frumenti solvat. 2. Ut, si mori boves contingat, Bubulcus eorum pretium solvat. 3. Ut finito triennio boves consignentur Hero sub nova æstimatione, & si scutis nonaginta æstimati non fuerint, sed minoris; Bubulcus suppleat suæ usque ad dictam summam. Quæritur, An contractus, & pacta prædicta sint licita, & legitima?

In tot numerosis responsis, circa hunc Casum datis, reperi quatuor sententias, quatuor diversorum contractuum naturam autumantes; videlicet Mutui; Emptionis, & venditionis; Societatis; ac Locationis, & conductionis. Priores tres opiniones conantur ostendere, pacta in casu posita esse legitima. Sed ultima contrarium comprobatur. Omnes referam, tanquam ingeniosas, & doctrinis fultas.

Prima igitur sententia ait, contractum, de quo in casu, Mutuum fuisse, ex eo, quod Bubulcus rogavit Herum, ut sibi mutuaret pecuniam ad emendos Boves; & Bubulco stipulante empti sunt Boves; idcirco Herus non emit boves, sed pecuniam mutuavit Bubulco emptori boum; & sic inter Herum, & Bubulcum contractus Mutui initus fuit; quo stante secundum, & tertium pactum legitimum remanet; videlicet, quod periculum boum sit Bubulci, & quod debeat restituere eandem summam scutorum nonaginta; nam extra omnem controversiam est, rem mutuo datam, si pereat, perire mutuuario. lib. 2. ff. Si cert. peratur. §. Item is. Institution. Quib. modis re contrah. oblig. Rebell. de Obligat. Just. lib. 8. quasi. 1. num. 6. & tantumdem esse restituendum, quod fuit acceptum. leg. Cum quid. 3. ff. Si cert. per. Molin. disputat. 299. num. 1.

Igitur tota difficultas reducitur ad primum pactum; scilicet Ut singulis annis Bubulcus solvat Hero modium frumenti; quod, stante mutuo, est usurarium. At videtur defendi posse hoc pactum, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quod Herus sentire, vel pati potest ex datione 90. Scutorum; siquidem quilibet præsumitur pecuniam suam non otiosam tenere; sed eam
 G utili-

utiliter negotiari in augmentum, & qui lucrum recipit ex mutuo vel ob lucrum cessans, vel damnum emergens, non committit usuram, sed licet lucratur. *Molin. dict. tom. 2. de Just. disput. 315. & 316. Rebell. dict. lib. 8. quest. 16. Tamburin. de Tripl. Jure. dict. lib. 9. tract. 1. §. 3. & 4. Card. Toleran. lib. 5. capitul. 32. & 33. & Cardinal. de Lugo disput. 25. à num. 86. & seqq.*

Secunda sententia tenuit, contractum fuisse
4 Emptionis, & Venditionis, videlicet, quod Herus vendiderit boves Bubulco, expectata solutione pretii scutorum 90. post triennium; & stante tali contractu videntur tria pacta in eo posita esse legitima; secundum enim, & tertium non egent probatione; quia cum in venditione dominium rei venditæ transeat in emptori, qui est Dominus, & sic Bubulco; & solutio pretii scutorum 90. non subiacet reprehensionii; quia si tanti boves valebant, quando Bubulcus eos recepit, & tanti Herus eos emit; ad eandem estimationem debet boves Hero suo dare, quæ obtinet vicem pretii; imò est idem pretium. *Leotard. de Usur. quest. 59. num. 32. ubi in specie notat, licitam esse solutionem pretii non solum in pecunia numerata; sed etiam in re æstimata per text. in l. Pretii causa. 9. C. de Rescind. Vendit. quod docet etiam Cardinal. Mantica de Tacit. lib. 4. tit. 19. à num. 5. & seqq.*

Primum vero Pactum, de solvendo modio frumenti singulis annis, videtur legitimum respectu fructuum, quos Bubulcus colligit à bovis, tum quia si feminae sunt, parient vitulos, tum etiam quia si masculi, ex cultura agrorum fructus ipse Bubulcus habebit; ratione autem rei fructiferæ venditæ, nondum soluto pretio, potest Venditor lucrum ex fructibus ejusdem rei sibi reservare. *l. 2. C. de Usuris. l. Curabit. 5. C. de Actor. empr. Leotard. de Usur. quest. 24. num. 14. & melius quest. 31. num. 8. & 9. ubi in terminis (quamvis non de bovis, sed de pecoribus loquatur.) Covaruv. lib. 3. cap. 4. n. 1. Card. Mantica dict. lib. 4. tit. 24. num. 5. & seqq. Sperell. decision. 118. num. 1. & 2. Scaccia de Commere. §. 1. quest. 7. part. 2. ampl. 8. num. 173. Et ex Theologis Molin. dict. tom. 2. disputat. 368. Sanch. in consil. Moral. lib. 1. cap. 7. dub. 21. Diana par. 1. tract. 8. resol. 89. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resol. 61. Et par. 4. tract. 4. resol. 139. Quæ pariter in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resol. 56. & Card. de Lugo disput. 25. num. 140. Qui omnes hanc reddunt rationem, pensionem pro fructibus esse licitam, quia non est Usura lucratória, sed compensativa.*

7 Tertia sententia dixit, Societatis contractum initum esse inter Herum, & Bubulcum super bovis traditis; nam animalia hæc propriè dantur in societatem, & ut vulgo dicitur ad societatem. *Socin. Sen. in lib. 5. Decret. tit. de Usuris. à num. 129. & seqq. & ideo omnia illa tria pacta censentur legitima, eo quia in hoc contractu societatis possunt ingredi duo alii contractus Affectionis, & Venditionis, quos docet Navar. in 8 Manuali cap. 17. num. 255. & approbant tam Canonistæ, quam Theologi, quos cumulat Leotard. de Usur. d. qu. 31. num. 13. inter quos Ugo lin. de Usur. num. 55. §. 1. Marefcot. Var. resol. lib. 2. cap. 133. num. 21. Molina disp. 417. Lessius lib. 2. cap. 25. dub. 3. & Card. de Lugo disputat. 30. num. 40. qui omnes concedunt licitam esse societatem cum pacto, ut capitale sit saluum tra-*

denti, & totum ei restituatur, ut pactus est Herus cum Bubulco; qui sic consentit, & recipit in se periculum, assecurando Herum, & emendo suam medietatem fructuum à bovis producendorum pretio Unius modii frumenti singulis annis; quod pretium justum reputari debet, tum ex dictis per Card. de Lugo disput. 29. num. 70. cui adhæret Tambur. de Tripl. Jure lib. 9. tract. 4. cap. 5. num. 13. videlicet recipi posse tres aureos pro bove æstimato viginti aureis; tum ex doctrina Card. Mantica de Tacit. d. lib. 4. tit. 24. num. 27. concedentis, fructus annuos posse taxari usque ad quatuordecim pro centenario; & ideo cum modius frumenti sæpè sapius non valeat ultra sex scutos, id est libras quadraginta duas; & Herus exbursaverit scutos nonaginta, respectu quorum posset pro fructibus pacisci etiam duodecim, vel tredecim scutos, concludendum videtur, in pactis Heri, de quibus in casu, non inesse injustitiam, & per consequens contractum, atque pacta ipsa legitima esse.

Quarta tamen sententia; (quam amplecti-
tur Curia Episcopalis, & quæ majorem votorum
numerum sortita fuit) censet, contractum prædictum iniquum: ac ipsa Pacta prorsus Usuraria, & illegitima fore; ea ratione quia contractus iste verè, & propriè est contractus Locationis, & Conductionis; in quo Herus, cujus pecunia empti sunt boves, & qui est eorum dominus, locat ipsos boves Bubulco ad colendos agros per triennium, & pro pensione recipit modium frumenti singulis annis; quæ pensio, est nimis excessiva, arguitque primum pactum de injustitia; nam quatuor staria tanummodò pro unoquoque bove exiguntur ab honestis Viris, iisdem reservato periculo casuum fortuitorum mortis animalium; Ideoque etiam secundum, & tertium pactum iniquitatem, & injustitiam continent; quia si boves mori contingat, (absque culpa Bubulci) mori debent damno
11 Heri locatoris, & si in æstimatione deteriores, hæc deterioratio omnino spectare debet ad ipsum Herum. *l. Si quis fundum, §. 1. ff. Locati. Bart. in l. Si ut certo. §. Nunc videndum, ff. Commod. Ugolin. de Usur. cap. 54. num. 3. Lupus de Usuris Comment. 3. §. 1. num. 27. ubi loquuntur in terminis nostri Casus. Leotard. eod. tract. quest. 36. num. 25. Rebell. lib. 15. quest. 6. Azor. part. 3. lib. 8. cap. 12. quest. 2. Card. Mantica de Tacit. lib. 5. tit. 7. num. 32. Comitoli. lib. 3. Respons. moral. qu. 12. num. 4. proposit. 5. Petrus Ubaldus in tract. de Duob. Fratrib. part. 5. quest. 26. num. 19. Trullench. in Decalog. lib. 7. cap. 23. dub. 5. num. 4. Bonacin. tom. 2. de Contract. disput. 3. qu. 6. punct. 5. num. 9. Tamburin. de Tripl. Jure. d. lib. 9. tract. 4. cap. 5. num. 5. Sylvest. Verb. Societas 2. quest. 7. qui omnes docent tum detrimentum, tum periculum mortis boum spectare debere ad dantem, seu locatorem, alias contractus est injustus, & usurarius, quod latius scribit Corrad. in Respons. Casuum Conscient. part. 1. resp. 254. in addit. Card. de Lugo d. disp. 29. à n. 75. & seqq. & Card. de Luca de Usur. disc. 2. num. 3. & 4.*

Neque obstant argumenta contraria aliarum sententiarum & opinionum: Non illud, quod censetur contractus mutui, & lucrum exigatur ratione lucri cessantis; quia minus verum est, contractum fuisse mutuum; non obstantibus verbis Bubulci mutuam pecuniam ab Hero rogantis; nam, cum dati sint boves per

12 per triennium ad colendos agros cum annua pensione, contractus assumit naturam locationis, & conductionis dictorum boum; ad cognoscendum enim contractum, magis est inspicenda ejus forma, & effectus, quam nominis appellatio. Abb. in cap. Illo vos. in 4. not. de Pignor. & Card. Mantica de Tacit. lib. 2. tit. 2. num. 5. & num. 19. Sed supposito etiam mutui contractu; pacta, de quibus in casu, fenoris malitiam declinare non possunt; quia non constat de conditionibus simpliciter necessariis pro dicto modio tritici exigendo annuatim, sub pretextu damni emergentis, vel lucri cessantis, de quibus tractat Card. de Lugo disp. 25. sect. 6. per totam. Tambur. de Triplici Jure. d. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 3. & 4. & studiosi nostri notarunt in Mense proximo; & dicemus in Decis. XXXIII. quare hic possumus referre verba Leotardi de Usur. d. quaest. 36. num. 25. dicentis; Illum, qui rem suam justo pretio aestimam, veluti equum, vel bovem ad certum tempus alteri locat, ea lege, ut re illa quandocumque pereunte pretium cum lucro consequatur, usurarium esse, quod etiam docuit Bart. in l. Si ut certo. §. nunc videndum. ff. Commod. Caroc. tit. de natur. locat. quaest. 9. & Roderic. de annuis redditibus lib. 2. quaest. 3. num. 64. idque pro rusticis notandum esse, qui saepe à civibus, qui astutiores sunt, & rusticorum necessitatibus abuti solent, hujusmodi contrahibus ilaqueantur.

13 Non obstat Secunda opinio, quod talis contractus censendus sit emptio, & venditio, & sic ratione fructuum rei venditae licita videatur pensio juxta DD. supra allegatos; nam responderetur, quatenus etiam pes figeretur in emptione, & venditione, contractum istum esse injustum, & Usurarium ob secundum pactum injiciens periculum rei venditae in emptorem, siquidem ex communi sententia Doctorum concedentium, Venditorem ob non sibi solum pretium reservare interim sibi posse fructus; supponitur etiam, debere retinere in se dominium rei venditae, & per consequens ea pereunte, eidem Venditoris periculo perire, non autem Emptoris. Sanchez d. lib. 1. Confil. moral. c. 7. dub. 21. ubi sapienter notat, quod si dominium transferatur in Emptorem, & ipse Venditor velit habere fructus, excusari non potest, quin Usuram committat; quia fructus illos non alio titulo recipit, nisi ob non solum pretium; quidquid autem accipitur ob dilatatam pretii solutionem usura est, ob mutuum implicitum in ea contentum; & ideo Usurariam esse hujusmodi fructuum retentionem tenuerunt S. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 7. §. 20. Gabr. 4. dist. 15. q. 11. art. 2. post quartam Conclus. Rosella verb. Usura. 1. num. 47. Armill. d. Verb. num. 15. Sylvest. eod. Verb. Usura 2. quaest. 11. Major. 4. dist. 15. & alii quos citat Sanchez d. dub. 21. num. 2. in fin. ubi & ex Jurisperitis Abb. Confil. 66. lib. 1. Alexand. lib. 4. Confil. 119. 120. 121. Capolla caur. 125. Socin. & Decius, quibus addendus est Card. de Lugo d. disput. 25. num. 137. & seqq. qui etsi speculative disputando teneat, etiam translato dominio rei in emptorem, posse fructus retineri a Venditore absque Usura, e ratione, quia Venditor, qui poterat dominium non transferre, donec solveretur pretium, transiit sed imperfectum, videlicet excepto Jure colligendi fructus, & quo ad dominium directum tantum, & non quo ad utile; nihilominus opinio hæc practice admitti non potest, nisi in venditione rerum immobili-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

lium, quæ numquam, aut raro periclitantur, utpote agrorum, & domorum; at in rebus mobilibus casui, & periculo semper expositis. pro-15
babilis, & secuta in conscientia esse non potest, quia aperiret amplam viam Usuris cum manifesta injustitia, & gravamine emptorum; semper enim Venditores profiterentur fructus sibi reservare, & dominium tantummodò directum rei in emptorem transferre, ut res pereat periculo ipsius emptoris; & venditor habeat caput saluum, & securum pretium una cum fructibus; qui certe hoc solo titulo reservantur, scilicet ob non solum pretium; quod si solum fuis-
set, fructus non essent Venditori reservati; idcirco reservantur ob non numeratam pecuniam; & ita hæc opinio amplecti non potest in venditione rerum mobilium, quæ sunt periculo obnoxia, ut sunt animalia; & vix praticari posse videtur in bonis frugiferis immobilibus absque labe feneratoria; imò est omnino refutanda, tanquam strictissime fraternizans cum opinionibus nuper damnatis à Sanctissimo PAPA Nostro INNOCENTIO XI. Opin. 41. atque eam refutarunt multo ante Comitoli. Resp. moral. lib. 3. quaest. 18. Petr. à Navar. de Restit. lib. 3. cap. 2. num. 156. Azor. part. 3. lib. 8. cap. 15. Valer. de Diff. inter Virumque for. Verb. Usura diff. 13. Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 13. num. 109. & eam non admittit Tamburin. in Decalog. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 6. num. 14. nisi retento dominio apud Venditorem, 16
donec ei solvatur pretium, ut si interim res pereat, eidem Venditori pereat; & cum hac conditione tenuerunt ante illum Rebell. part. 2. lib. 9. quaest. 17. à num. 10. Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 2. num. 20. Reginaldus in Praxi lib. 25. cap. 24. num. 354. Versicul. Duodecimum documentum, & Theodof. Rubeus in Singular. ad Rotam Roman. tom. 2. part. 5. ad l. Curabit. de Act. Empr. & Vend. Conclus. 2. pag. 537. ea ratione, quia Venditio resolvitur in locationem, & conductionem, donec pretium solvatur; ut in terminis docet Abb. d. Confil. 66. par. 1.

Tertia tandem sententia non obstat, quia neque ipsa subsistit, siquidem est, quod contractus esset Societatis; & boves, de quibus in casu, dati verè fuissent Bubulco in socidam; adhuc contractus est censendus Usurarius, & pacta in eo apposita sunt evidenter injusta, socius enim, qui vult lucrum percipere è societate, & nullum subire periculum, illicitè & iniquè agit, ac Usuram committit. l. Si non fuerint 17
29. §. Aristo. ff. Pro Socio. cap. Consultat. de Usuris. Gloss. in capit. Plerique 14. quaest. 3. Castrensis lib. 2. Confil. 55. Rebell. lib. 15. quaest. 2. num. 1. Cardin. Mantica de Tacit. lib. 6. tit. 6. num. 2. & 18. & Leotard. de Usuris plurimos DD. cumulans quaest. 31. num. 2. & 3. ubi multò magis Usuram committi probat, si socius salvo capitali de certo lucro conveniat, ut in casu nostro, quod etiam docet Navar. in Man. cap. 17. num. 260. & Card. Mantica d. lib. 6. tit. 7. num. 3. & in specie, Usurariam esse societatem, in qua traduntur animalia aestimata Pastori, aut rustico ea lege, ut liberè eis uti valeat, dummodò tantumdem post aliquod tempus restituat cum certo lucro; eò quia perinde est, ac si illorum pretium eidem Herus dedisset mutuum, docent Azor. lib. 9. cap. 7. quaest. 6. Rebell. lib. 15. quaest. 6. num. 4. Molfes. de contract. cap. 11. num. 46. Filliuc. tractat. 38. cap. 5. n. 98. & Leotard. de Usur. d. quaest. 31. num. 7. G 2 His

His addenda est Constitutio Sixti Papa Quinti, quæ incipit *Detestabilis* &c. Edita Romæ 12. Cal. 19 Novembr. 1586. & est in Bullar. Roman. tom. 2. la 45. quam refert Corrad. d. part. 1. resp. 254. Leonard. dict. quæst. 31. num. 10. & Cardin. de Lugo Disput. 29. num. 78. in fin. in qua Constitutione Summus Pontifex damnando hujusmodi societates, contractus, & pacta, ita decernit:

Hac nostra perpetuè valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque contractus, & conventiones posthac ineundas, per quas cavebitur personis pecunias, animalia, vel quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, & etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, & amissionem sequi contingat, fors ipsa, seu capitale semper saluum sit, & integrum à socio recipiente restituatur: sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, & conventiones, & pactiones Usurarias, & illicitas posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendi inter se pacisci; neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum conveniunt, socios, qui ea recipient ad sortem, seu capitale saluum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ Usurariam pravitatem sapient, districte interdiciamus, & prohibemus; sed potius cuncti noverint societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel industriam consert, purè, sincere, & bona fides sicut decet, justis, & aequis conditionibus, secundum juris dispositionem, ac sine ulla Usuraria pravitaris labe, & suspitione ineundas esse: ita ut non ad certam summam, & quantitatem ab omni periculo immunem lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum socius accipiens teneatur.

Qua Pontificia Sanctione attentata, cadit etiam fundamentum aliorum contractuum, qui supponuntur initii in societate, id est Assecurationis, & Venditionis lucri incerti per summam certam; tum quia per eundem Pontificem & ipsi censentur reprobati, dum in ea prohibet, ne periculum in accipientem rejiciatur, & ne de certa lucri quantitate conveniatur, & sic videtur prohibuisse involucria, & mixturas eorumdem contractuum; tanto magis, quia jubet, ut in posterum societates contraherentur non solum absque labe Usurariæ pravitatis, sed etiam sine sceleris suspitione; à qua non sunt omnino immunes dicti contractus, ut constat ex Reginald. d. lib. 25. capit. 29. num. 399. ex Parlador. Rev. quotid. lib. 2. cap. 2. num. 10. ex Rebell. d. lib. 15. quæst. 4. num. 1. & ex Philarc. de Offic. Sacerd. lib. 5. cap. 7. concl. 3. tum etiam, quia quando dicti contractus Assecurationis, & Venditionis possent in conscientia sustineri, pensio solvenda à Bubulco valde minor esse deberet; cum enim viri timorati, qui dant boves in Socidam, exigant quatuor staria frumenti tantummodo pro bove, & retineant in se periculum mortis ipsius bovis, ut supra dictum est, & notorium in hac Diocesi; ubi, è contra, rusticus suscipiat in se periculum, multo minorem summam dare debet; & idcirco pactum unius modii, id est steriorum 12. frumenti, absque periculo, & cum obligatione restituendi boves ad eandem æstimationem efficit absque dubio conventionem injustam, iniquam, & Usurariam, ut tener

quarta sententia supra firmata, & cum ea Curia Episcopalis consentit, & eam tuetur novissime Emin. Card. de Luca de Usuris disc. 2. supracitat.

D E C I S I O XXXI.

A R G U M E N T U M

Instruitur Confessarius, quid agere debeat cum Usurario penitente, ut eum possit ritè, ac rectè absolvere?

S U M M A R I U M.

1. Usurarius ut salvetur, restituat Usuras.
2. Absolvi quando possit Usurarius publicus?
3. Restitutio qualis, & quanta sit facienda ab Usurariis?
4. Cautio restituendi ab Usurario penitente præstanda.
5. Confessarius quomodo se gerat cum Usurario?

Mercator quidam confitetur, se plures Usuras commississe; se; quarum penitet, cupiens animam suam salvam facere. Petit remedium à Confessario. Quæritur, quale remedium dabit?

Plures plura dixere; sed omnium dicta in hoc unum remedium conveniunt, videlicet, quod mercator iste penitens, & dolens se plures commississe Usuras, ad salvandam animam suam, faciat restitutionem. cap. Quia in omnibus. De Usur. cap. Quamquam. eod. tit. in 6. Sylvest. Verb. Restitutio. 6. §. 1. Tolet. lib. 5. cap. 36.

Porro differentia est circa hujus remedii applicationem, ubi Usurarius sit manifestus; & ubi sit occultus. Quandoquidem, si manifestus sit Usurarius, Confessor non potest eum absolvere, nisi prius realiter, & plenariè usuras restituerit, & non solum Usuras, & res acquisitas ex sceleris, sed etiam fructus perceptos ex re Usuraria; & sceleratitia; imo si Usuræ exactæ constiterint in pecunia, vel bonis consumptibilibus, etsi non teneatur restituere lucrum, quod ex eorum negotiatione percepit, quia non est fructus rei, sed industriæ suæ; tamen debet Usurarius restituere etiam damnum emergens, aut lucrum cessans, quod passi sunt Mutuatarii, à quibus usuras exegit, ut docent omnes Doctores, inter quos Molin. d. tom. 2. disp. 332. Sæ Verb. Debitum. num. 12. Salas de Usur. dub. 39. num. 3. & Tambur. de Tripl. Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 9. §. 1.

Quod si statim Usurarius manifestus non potuerit realiter, & cum effectu usuras restituere, debet saltem cautionem idoneam præstare de restituendo, quæ sit vel Pignoratitia, vel Fidejussoria; & his deficientibus, saltem Juratoria d. cap. Quia in omnibus. De Usur. & cap. Quamquam. eod. tit. in 6. ubi Gloss. Covarruv. lib. 3. Var. cap. 3. num. 6. Ugolin. de Usur. cap. 24. §. 3. num. 2. Card. Tolet. d. lib. 5. cap. 36. Thesaur. de Penit. part. 2. Verb. Usurarium poena in princ. Quod si neque juratoriam præstare possit, eo quia jam moribundus sensus amisserit, sed edictis prius signis verè contritionis, tunc poterit absolvi; sed si recuperaverit sensus, cautio est exigenda. Card. Tolet. d. lib. 5. cap. 36. Navar. cap. 16. num. 279. Lessius lib. 2. cap. 20. num. 187. & Card. de Lugo disp. 25. num. 246. qui omnes docent coram quibus dicta cautio est præstanda.

At si Usurarius fuerit occultus, si habuerit proposita restituendi usuras; & ita promiserit Con-